percusserit te in unam maxillam, praebe ei et alteram. Cum autem jam sero factum esset, et tenebrae essent, venit quidam et stetit in ostiolo speluncae, meque ex nomine vocavit, sic clamans: domine Felix egredimini foras. Territus autem respondi, me ibi in loco quietis esse, nec velle me exire; ad quod rogare me coepit, dicens: magnam imminere necessitatem. Exivi ergo ad eum, et erat quidem barcalerus nostrae galêae, missus a quodam, qui in galêa constitutus in agone mortis pro me clamavit, ut mihi confiteretur. Licet autem invitissime ad galêam reverterer, tamen ne animam fratris negligerem, in tenebris ad mare descendi, et in barca per scopulos periculosissimos in galêam navigavi, quae pene ita remota stabat (B) a litore, sicut Seflingen ab Ulma. Et statim infirmum illum expedivi, et lectulum meum de cumba mea sursum portavi, et in uno transtro, de quo mihi erat aspectus ad litus, quievi, ut in casu, quo peregrini de spelunca educerentur ad recessum, motum exercitus videre possem. Ex remotione enim lucernarum ardentium juxta tentoria dominorum Maurorum potuissem peregrinorum recessum percepisse. Nam juxta quodlibet tentorium pendebant VI ardentes lucernae in altis stipitibus propter honorem Machometi, et dominorum ibi dormientium reverentiam, et propter populi consolationem. Haec ego vidi de mari, et magnum compassionem cum Dominis et fratribus meis peregrinis habui, qui in spelunca squalida, et tenebrosa jacebant, et omni solatio luminis carebant, et illi canes Sarraceni illustratione copiosa gaudebant.

Septima die ante solis ortum descendi in barcam, et per stridentes aquas inter rupes ad litus remeavi festinus, quia putavi, nos illico recessuros. Sed quia patroni nostri discordes erant, ideo diutius detinebamur. Discordia vero illa Venetiis incepit, videlicet fol. 33., et usque huc duravit. Conabatur ergo quilibet suos peregrinos per terram sanctam ducere sine alterius patroni peregrinis, et volebant duos societates, vel duas separatas turmas facere, quae nec eodem tempore, nec in eisdem locis convenirent. Nos vero omnes petivimus duci simul et semel sub eadem pactione, quod et Sarracenis placuit in tantum, quod nullo modo volebant nos dividi ab invicem, pro qua tamen divisione ambo patroni constanter

215

213

219

209

224

204

264

164

314

114

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;